12
54

# SPIRITUS ADOPTIONIS

SIVE

# DE S. SPIRITUS ADVENTU

# ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

*AD SANCTISSIMUM D. N.*

INNOCENTIUM XII.

PONT. MAX.

A JOANNE BAPTISTA LUZZAGO

*Sem. Rom. Convict.*

34-7-B-19-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCXCVI.

Ex Typographia Joannis Franciſci Buagni.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# INNOCENTIO XII.

## PONT. MAX.

## JOANNES BAPTISTA LUZZAGO

Fœlicitatem.

*SPiritus Adoptionis, qui hodie omnes Mortales adſciſcit in Filios, jamdiù animum tuum altiùs inſedit B. P. Hoc ſiquidem Spiritu afflatus Pauperes omnes in Nepotes Tuos, ac Filios adoptaſti, & qui Pontificiæ Charitatis amplitudine Pater es omnium Credentium, ſingularita-*

*men*

*men animi Tui propenſione Pauperum potiſſimum Pater eſſe voluiſti; in hoc etiam Deo ſimillimus, cui nobilioribus inter rationales Creaturas prætermiſſis nos placuit redimere. Hac igitur amoris Tui benignitate non mediocriter erectus, miſerum hunc, & tenuem ingenii mei partum Tibi ſiſtere non dubitavi, futurum confidens, ut quantò ille vilior eſt, & ignobilior, tantò dignior cenſeatur Adoptione Tua, & Patrocinio.*

ORA-

# ORATIO.

STerilis intra, & Infœcundus Divinus Spiritus hodie Genus humanum adoptat in filium. B.P. *Accepiſtis*, inquit Paulus, *Spiritum Adoptionis, in quo clamamus Abba Pater*. Sempiternam Orbitatem multiplici prole coronat factus omnium gentium Pater, quas, ut admirabilem utriuſque Perſonæ fœdunditatem æmuletur, amando ſimul regenerat, & dicendo; linguis, & igne. Ut ſimiles nos faceret Verbo, linguas novæ generationis juſſit eſſe inſtrumenta; ut ſimiles redderet ſibi, authorem novæ hujus, & divinæ vitæ eſſe voluit Amorem. Sic hodie novum additum decus Divinæ fœcunditati, & ſupremum prope impoſitum coronamentum; factum eſt enim, ut ſicut à ſola locutione Alter, Alter à ſolo amore ducunt Origi-

nem, ità hodiernæ Adoptionis beneficio aliqui eſſent, qui ex locutione ſimul, & amore traherent Vitam.

*Accepiſtis*, inquit, *Spiritum Adoptionis*. Pro Singularis humanæ Naturæ commendatio! Ea enim eſt Adoptionis conditio, ut quos adoptamus in filios, gignere maluiſſemus: ſolamur imaginaria hac, & umbratili productione amorem noſtrum, qui verus eſſe illorum Parens ambiret. Quin etiam tales eligere conſuevimus, quales voluiſſemus producere; non eligerentur, niſi vota implerent noſtra, & æquarent Idæam: ut proinde certius ſit paterni amoris argumentum adoptio, quàm productio; potes enim non amare, quem genueris; non potes quem eligas. O igitur glorioſiſſimam nobis hodiernam adoptionem! O beatiſſimum diem, quo *ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei*!

Maiori tamen admiratione dignum crediderim, quod Spiritus Adoptionis miniſterio in Filios nos Deus adoptat iam Deo Filio abunde dives. Humanam etenim Adoptionem non tàm amor ſuadet, quàm dolor:

Ca-

Calamitatis illa ſolatium eſt, atque ſolitudinis; & neceſſariam eam facit inopia filiorum; ut prope neſcias uter alteri plus debeat, adoptans, an adoptatus: inſtituit ille hæredem, hic facit Patrem. Facile præterea eſt amorem, quem otioſum cæteroquin perderes, alteri impendere; nec magnum quid ego cenſuerim ab eo diligi, qui neminem habet, qui amari magis mereatur, aut debeat. Hoc ego omnium laudum præconiis, omniumque ætatum invidia dignum ſemper putavi ab eo adſciſci in filium, qui non in ſenectutis ſuæ præſidium, non in familiæ propagationem, non in Patrimonii cuſtodiam, non in amoris ſui occupationem, ſed adoptat Deo Filio ſatis ſuperque beatus. Ita ne vltra Deum Filium alios filios optare potuit Divina fœcunditas! Ita ne tanto coram filio nos etiam citra illius iniuriam, citra Parentis ignominiam Dei Filii nuncupari, & eſſe potuimus!

Eſſe inquam Auditores. Siquidem hoc etiam humanæ præcellit Adoptio Divina. Poſſunt ſane per illam communicari nobis Opes paternæ, honores, affinitates, familia,

co-

cognomen; Natura non poteſt. Quapropter dum ſplendidam filii nomenclaturam uſurpamus, ſpecioſo mendacio vota noſtra decipientes abutimur prçſtantiſſimo nomine revera hæredes potiùs, quàm filii! Quantò igitur præſtantiùs, quantò feliciùs *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*! Quibus non inane nomen, & nudum; non externa instabilium fortunarum præſidia, ſed ipſa Divinæ Naturæ ſocietas, & conſortium contingit. Hodie demum Divino Paracleto adſpirante impleta ſunt Vota amantiſſimi Reparatoris petentis à Patre, *ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*. Coaleſcimus cum Deo in Unitatem quandam Naturæ, ut poſſit jam de nobis pronunciari *Dii eſtis, & Filii Excelſi omnes*.

Reſtat igitur, ut qui hactenus viximus tanquam filii hominum, eam in poſterum inſtituamus vivendi rationem, quæ deceat Filios Dei.

F I N I S.

ROMA VITTORIO EMANUELE